

*pudenda tua in facie tua, et ostendam gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam.* Justum enim et æquum est, ut quando homo Deum inhonoravit, et hominum potius quam Dei oculos offendere timuit; ab eo confundatur, quemadmodum per Nathan exprobratur adulterium Davidi, quod occultare ab hominibus maximopere studebat, non item coram Deo: *Tu enim fecisti abscondite, inquit, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, in conspectu solis,* II. Reg. XII.

Secundo, ut non solum anima, sed simul etiam corpus, adeoque homo integer sententiam suam a iudice accipiat, quod non fit in particulari cuiusque iudicio, ubi animæ tantum iudicantur. Hanc causam indicat apost. II. Cor. V. cum ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum.* Quia enim simul cum corporibus animæ vel male, vel bene egerunt, ideo oportet, ut aliquando simul iudicentur et præmium accipiant, aut pœnam. Contingit etiam sæpius, ut anima in iudicio condemnatur, corpus vero ejus compars magno honore deferatur ad sepulturam, et splendido condatur mausoleo. Vicissim multorum sanctorum corpora jacent insepulta vel avibus objecta fuere, quorumdam electorum pendit in patibulis. Denique, pascunt hic reprobi, corpus suum deliciis ac voluptatibus, tenerrime vestiunt, plus quam Deum amant, omnia aspera ab illo longe removent: justi contra in corpore multa tolerant, ipsumque insuper affligunt operibus pœnitentiæ. Non patietur ergo Dei justitia, ut corpus injudicatum maneat, quod ex eodem calice bibit cum anima conjuge, vel amaritudinem afflictionis, vel dulcedinem voluptatis. Hoc significat ex parte condemnandorum, gladius ille bis acutus, de ore iudicis Christi prodiens, quem vidisse se scribit S. Joannes, Apoc. I. Gladius enim hominum, corpus tantum ferire potest, non animam: gladius vero Dei, et corpus et animam feriet, Domino testante, Matth. XX. *Time eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*

Tertio, ut non solum bona vel mala quæ gesimus in vita, sed etiam illorum proles seu fructus, qui ex illis prodeunt, et in posteros propagantur usque ad mundi consummationem, in mundi fine, laudem aut vituperationem publice sortiantur. Hoc sensu exponit S. Basilius, lib. de virgin. quod apostolus, I. Tim. V. ait: *Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quorundam autem et subsequuntur.* Nam, exempli gratia, multi homines pii extruxerunt xenodochia, monasteria, et gymnasia, in quibus plurimi vel convalescunt, vel instituuntur

ad pietatem, vel erudiuntur in disciplinis; alii scribunt libros utiles, ad sapientiam et alias artes, vel ad pietatem propagandam, quibus multis singulis ætatibus proficiunt, et adjuvant proximos suos. Vicissim multi improbi libris suis lasciviis, vel hæreticis, malis institutionibus et exemplis alios pervertunt in longum tempus post obitum suum. Quia ergo in fine mundi, omnium merita ac demerita consummabuntur, æquum est, ut tunc in omnes justissima, et integra pronuntietur sententia. Crescit in hodiernum gloria S. Augustini, exempli gratia, qui doctissimis suis libris Ecclesiam illustravit, crescit similiter damnatio Lutheri, qui pessimis suis dogmatibus Germaniam pervertit. De his itaque dicit Dominus, Matth. XIII. *Sinite utraque crescere usque in messem, in tempore messis, dicam messoribus: Colligite primum zizania et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.*

Quoniam itaque certo scimus Dominum venturum ad iudicium universale, et quamobrem sit venturus, consulamus rebus nostris, et sequamur consilium Ecclesiæ quod hoc adventus tempore toties nobis inculcat: *Regem venturum Dominum, venite adoremus: præoccupemus faciem ejus in confessione.* Componamus cum confessario rationes nostras, ut ne iudicem illum vereri habeamus; in aurem unius hominis confiteamur nostra delicta, ne aliquando confiteri toto mundo cogamur. Denique, ita vivamus, ut in die illa apparere audeamus. De Julio Druso tribuno plebis scribit Plutarchus, quod cum aedes ejus multis locis paterent vicinorum oculis, et quidam opifex diceret, se incommodum id aversurum mercede quinque talentorum, responderit opifici: *Decem dabo, si feceris domum meam ita patulam, ut omnes cives videant quid domi meæ agam.* Erat enim hic vir moderatæ vitæ. Dic tu hoc, Christiane, et ita vivere stude, ut non modo non verearis, verum etiam optes omnibus tuis actibus videri a Deo, angelis, hominibus et dæmonibus.

## CONCIO III.

UNUMQUEMQUE SUIS TALENTIS CONTENTUM ESSE DEBERE.

I. Contentus sit bonis corporis. — II. Bonis externis hæreditariis. — III. Bonis externis industria partis. — IV. Bonis animi naturalibus. — V. Bonis supernaturalibus.

## THEMA.

*Uni dedit quinque talenta, alii duo, alii vero unum.* Matth. XXV.

Solent hodierna nocte parentes liberis suis diversa imponere munera, fere pro cuiusque indole et propensione, si enim pater velit destinare filium ad canonicatum, imponit ei librum spiritualem; si ad militiam, imponit ei cingulum militare, cristam vel pugionem; si ad aulam, equitem; si ad familiam administrandam, pecunias et similia; quo nimirum his quasi illecebris excitetur ad suum quisque statum amplectendum. Similiter agit nobiscum Deus, qui cum ad varios diversosque status eligat destinque homines, singulis distribuit talenta statui eorum convenientia; ita ut nemo de ipso conqueri possit, quamvis pauciora, vel viliora acceperit. Ipse enim Dominus est, et quis audeat illi dicere: Quare hoc ita facis? Ipse suavissimus gubernator est, omnia ad suos fines per media convenientissima dirigens. Et hoc satis esse nobis debet, ut quibuscumque tandem talentis contentissimi simus. Sed quoniam in particulari, multi nolunt intelligere, cur hoc vel illud talentum eis non sit datum; ostendemus neminem posse jure de hoc conqueri.

I. Inter hominis bona sunt, primo, bona corporis, robur, forma, integritas, complexio: ex quibus variæ oriuntur dispositiones et inclinationes, ut alius sit robustus, alius valetudinarius; alius staturæ et formæ elegantis, alius deformis; alius integris membris, alius defectuosis; alius complexionis sanguinæ, alius cholericæ, etc. Porro licet nos hujus varietatis causas non intelligamus, intelligit tamen Deus, qui omnibus corporibus humanis præsertim suas convenientes tribuit mensuras, sicuti organotectus omnibus organi fistulis, quarum alias fecit de ligno, ut sonum obtusiorum edant; alias de stanno, ut clariorem; alias majores, ut profundiorum; alias minores ut altiorem; alias inaurat quæ frontem organi condecorent, reliquas non item. Ad hæc cuius fistulæ suum competentem tribuit ventum, majori majorem, minori minorem. Ad eundem modum fecit nos Deus, ut quasi fistulæ in hoc

mundi organo, unanimes uno ore honorificemus Deum. Et ut tonorum esset varietas, alterum fecit infirmum, alterum robustum; alium speciosum, alium deformem; alium longioris, alterum brevioris staturæ, suam cuique mensuram, ita ut: *Nullus adjicere possit ad staturam suam cubitum unum, etc.* Matth. V. et ad hoc attribuit convenientem unicuique ventum, id est, gratiam Spiritus sancti, ut alius magis vel minus Deo servire queat; hic in frontispicio publicorum officiorum ad regendos alios, ille retro stare et in humilitate se continere queat; et ita demum omnes simul pulcherrimum Deo concentum faciant. Quod si igitur non habeas eas, quas optas corporis dotes, cogita primo Deum esse, qui te ita fecit, non te. Refertur in spec. exempl. lib. XXVI. c. XII. tempore Henrici imp. II. fuisse prope Coloniam presbyterum vultu admodum deformi: ad quem cum forte in venatione devenisset imperator specie militis, petens fieri sibi missæ officium; sub missa cogitabat secum, quam ob causam Deus homini tam invenusto commisisset sacra sua. Interea vero sacerdos legebat versum illum Psalm. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus,* et ad ministrum conversus clara et concitata voce, quasi cogitanti imperatori respondens, subjunxit: *Ipse fecit nos et non ipsi nos.* Quod velut sibi dictum accepit imperator, et virum illum sanctum ratus, episcopum Coloniensem fecit. Cogita secundo, formæ elegantiam multis laqueum fuisse, quemadmodum Absaloni proprii capilli, quibus velut laqueo suspensus est in quercu; aliis periculum creasse, uti Josepho et Susannæ. Propterea multi sancti formæ venustatem varie occultarunt, ne periculum subirent omittendæ pulchritudinis internæ. Alexander egregius juvenis, carbonariam exercuit, ut speciem suam tegeret, postea factus episcopus Comanus, apud Nyssenam, in vita Gregorii Thaumaturg. S. Birgitta virgo alterius oculi deformitatem impetravit a Deo, ne præter voluntatem nubere cogere et a religionis ingressu impediretur, Surius, I. febr.

II. Cogita tertio pulchritudinem animæ potius, quæ totius mundi superat decorem, nec unquam evanescit, quæque Deo et angelis facit amabilem, tibi comparandam; solam horrere debes peccati deformitatem, quæ animam Deo exosam et dæmonibus reddit similem. Sufficit fistulæ organica, si suavem et congruum edat sonum; sive ea sit lignea, sive stannea, parva seu magna, picta seu non picta: *Omnis pulchritudo filix regis ab intus.* Neque de filiis Isai elegit Deus natu majorem et statura digniorem, ut esset rex in Israel, sed omnium minimum David ad pastorem abjectum, I. Reg. XVI. quia ut ibi dicitur:

*Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

Secundo, bona externa, quæ hæreditate pacta sunt, uti genus et nobilitas. Alius nascitur servus, alius liber; alius nobilis, alius ignobilis; alius vas ad honorem, alius in contumeliam. Quod si non eo generis es splendore, quo sunt alii, cogita primo, parum referre, qualem in comædia personam agas, dummodo bene agas, rustici an regis. Sæpe enim accidit, ut qui rusticum agit, magis recreet auditores et majorem obtineat laudem, quam qui regem. Difficilius est hominem natura ad alta natum et gloriæ cupidum agere personam humilem, quam sublimem; unde et majoris laudis. Annon maxima S. Isidori laus, qui inter sanctos nuper canonizatos fuit agricola? Quam multos reges confundet hic rusticus in iudicio? Quam multos superabit in cælo? Cogita secundo, generis obscuritatem et humilitatem securiorem esse, nobilitatem vero sæpe ducere ad præcipitium. Quis nescit esse securius incedere in terra quam super lectum, volvere et revolvere se in planitie, quam super altam mensam? Quo examine instruxit quidam eremita nepotem suum, et absterruit ab episcopali infula, cui post mortem apparens gratias egit et dixit: *Scito quia nunc essem de numero dummatorum, si fuisset de numero episcoporum*, Hieron. in reg. sanctimon. cap. XV. Cogita tertio, te præstantiori quadam nobilitate omnes alios, quantumcumque sublimes, superare vel æquare posse, si velis, siquidem apud Deum justitantum nobiles sunt. Sic enim vidit S. Franciscus pauperem angelis circumdatum, nobilem vero, qui famulatio stipatus erat, solum incedentem; pauperi igitur reverentiam exhibuit, nobili non exhibuit. Idem sanctus dixit: *Quantus es in oculis Dei, tantus es et non amplius*, ut in ejus vita.

III. Bona externa, quæ industria parantur, sunt divitiæ, quarum dispar admodum est fortuna inter homines. Quod si igitur exigua accepisti talenta hujusmodi, cogita primo, gloriosam rem esse paupertatem, postquam Dei Filius eam nobilitavit. Non est major ratio, cur modo crux ita honoretur, ut ornet tiaras pontificum et coronas imperatorum, quæ prius horror et maledictum erat; quam paupertas, quæ et ipsa prius abjecta, per Christum tamem exaltata est. Certe S. Antonius solam vestem S. Pauli eremitæ ex foliis palmarum ab eo contextam sibi ex cella demortui sumpsit, quam adeo splendidam reputavit, ut in festis paschæ et pentecostes tantum induerit. Eandem S. Hieronymus prætulit regum purpuris, in vita S. Pauli. Ergo pauperuli eremitæ sagum pretiosius fit purpura ipsa vero paupe

Christi ore laudata et opere sanctificata, tibi exosa erit?

Cogita secundo, auream mediocritatem esse optimam et tutissimam, quam petebat a Deo Salomon, dum dixit: *Duo rogo te, ne deneges mihi antequam moriar, divitias et paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria*, Prov. XXX. paupertas enim fere cupida est et sollicita, indeque impatiens et proclivis ad rapiendum. Divitiæ vero periculosæ sunt et spinæ.

Cogita tertio, si rem bene expendas, nequamquam te esse pauperem; habes enim ditissimum patrem, qui tui curam habet. Quod si haberes amicicum ditissimum, v. g. episcopum, non arbitror, te multum affligeret paupertas, quia certo sperares tibi amicicum illum in necessitate subventurum. Deum tibi amicicum imo patrem habes, cujus sunt omnes mundi opes, quique sine dubio prospiciet tibi de necessariis, quando tibi expedit. Unde Tobias: *Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitiæ computare possent*. Deinde dives est, non qui multa habet, sed qui parvo contentus est: *Est enim dives cum nihil habeat*, inquit Sap. Prov. XIII. quia ita est contentus ac si plurima haberet. Denique: *Affatim dives est*, inquit S. Hieronymus, in reg. mon. c. de paupertate, *qui cum Christo pauper est*. Solatium, quod habuit in paupertate sua Lazarus, superavit omnes divitias ac delicias epulonis.

IV. Bona animi naturalia, ut ingenium et scientia: non minore varietate, quam cætera dona hominibus distributa. Sicut enim Deus dedit elementis contrarias qualitates, quibus mundo ingentia afferunt emolumenta, sic etiam ad Ecclesiæ universalis commodum varia distribuit ingenia et scientias, quibus alter alterum excitaret, vel reprimeret, etc. Quod si igitur ingenio et eruditione careas.

Cogita primo, scientiam non justificare sed gratiam, quam tu æque tibi comparare potes ac doctissimus quisque. Non qui doctior, ille Deo gratior, sed qui probior est. Unde in hodierno evangelio non dixit Christus: *Euge serve sapiens et erudite*, qui tam bene scivisti modos acquirendi et industrias luerandi; sed: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, etc.* Unde et David ante scientiam poscit bonitatem et disciplinam, Psal. CXVIII. *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me*. Non interrogabit Deus in iudicio quid didiceris, sed quid feceris. Idcirco et ordo seraphinorum qui ab amore denominatur, superior est ordine cherubinorum, qui a scientia nomen habet. *Amor enim*, ait Flugo de S. Victore *ascendit super scientiam et major est quam intelligentia, et ingreditur ad occulta Dei, scientia exterior remanente*. Ex annalibus habemus fratrum

Minorum dixisse aliquando fratrem Ægidium, S. Bonaventuræ, ordinis tunc generali: « Vobis doctioribus, multa et grandia dona largitus est Deus, quibus ei possitis deservire, nobis contra simplicibus et indoctis, vix aliquid, quo ei valeamus placere. » Cui Bonaventura: « Si Deus aliam nullam gratiam fecisset homini, quam ut eum possit amare, sufficeret profecto hæc unica, ad majora ipsi præstanda obsequia, quam pro aliis omnibus. » Urget Ægidius: « Potestne igitur tantum amare idiota aliquis rudisque homo Deum, quantum aliquis eruditus? Multo plus, inquit pater sanctus, potest vel minima ac lacera vetula, amare Deum Dominum nostrum quam summus aliquis theologiæ doctor. » Quibus vix dictis, mirifice exhilaratus sanctus ille fr. Ægidius, sublati in cælum oculis manibusque magna cum festinatione currens ad partem illam horti quæ civitatem respiciebat, contentissima voce inclamat: *Vetula pauperula et simplex ama Dominum tuum Jesum Christum, et poteris major esse in regno cælorum, quam frater Bonaventura*. Vix sermonem hunc finiit, quando raptus in extasin eodem in loco (quod ipsi solemne erat) ternis admodum horis immobilis constitit.

Cogita secundo, scientiam magis obnoxiam esse periculis (tametsi alia ex parte plurimum confert ad salutem) quam inscitiam, siquidem: *Scientia inflat, charitas autem ædificat*, ut ait apostolus, I. Cor. VIII. Imminet etiam litteratis severius iudicium, si non utantur talentis suis. Inde apostolus, I. Corinth. IX. dixit: *Væ mihi est, si non evangelizavero*: et Dominus: *Servus sciens voluntatem Domini et non faciens, vapulabit multis*, Luc. XII. Hinc ille qui abscondit talentum suum, cum dixisset: *Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, etc.* hoc responsi tulit: *Serve male et piger, sciebas quia meto, ubi non semino, etc. oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, etc.* Eruditi melius agnoscunt Deum, præmii magnitudinem, iudicis severitatem. Gravius igitur punientur, si ipsorum scientiæ facta non responderint. Cogita tertio, satis multum te scire, si quæ ad salutem necessaria sunt, scias; qua scientia non modo æquabis doctos, sed etiam superabis: *Multi multa sciunt, et seipso nesciunt*, ait S. Bernardus. Plurimum contra scit, qui scit Deum esse omnia et se nihil. Gloriabatur vulpes plurimas sibi technas esse ad evadendos hostes suos, cum contra eæpupus et felis dicerent sibi esse tantum unam, ut is se in globum convolvat, hic in arbores subsiliat. Repente igitur accurrentibus canibus echinus et felis artificio suo sospites fuere; vulpes vero deficientibus technis ejus canibus præda facta est. Sic justi analphabeti norunt

in angustiis et tribulationibus sibi consulere, per patientiam convolvendo se in globum, et per orationem confugiendo ad Deum, quod sæpe doctissimi nesciunt. David qui seipso teste litteraturam non cognoverat, et e pastore in regem electus erat, super omnes docentes se et super senes intellexit, quid agere in adversitatibus deberet; dum enim patientiam exercebat, et perorationem ad Deum confugiebat, omnes hostes suos mirabiliter effugiebat. S. Antonius dicebat cuidam philosopho se in unico tantum studere libro, creaturarum scilicet. Unde omnem suam hauriret cognitionem, in quo et doctissimus evasit.

V. Bona animi supernaturalia, ut gratiæ gratis datæ. Alii enim datur sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii spiritus prophetiæ, etc. Quod si hæc dona non accepimus, cogitemus primo, ea non justificare, quia et Judas, cum esset malus, miracula faciebat et Caiphas prophetabat, et illi, qui dicebant: *Nonne in nomine tuo prophetavimus et virtutes multas fecimus?* audient: *Non novi vos*. Charitas omnia illa superat: unde apostolus, I. Cor. XII. cum ea dona recensisset, subjunxit: *Emulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam nobis demonstro: charitatem scilicet ut mox ostendit*. Secundo etiam ista dona non carere suis periculis. Exemplum de eremita Herone, qui cum annis quinquaginta vixisset in eremo in summa abstinentia, continentia et silentio; tamen postea illusus a diabolo, credidit se ob sanctitatem suam nulli discrimini posse subjacere unde et se in altissimum puteum præcipitavit, quasi ab angelis se suscipiendum et custodiendum certo sciret, inde tamen semimortuus extractus, nec se quidem respiscere voluit, et in sua obstinatione vitam finiit, ut testatur Cassianus, collat. II. quæ est de discretione; quam rem suo tempore gestam et plurimis notam fuisse affirmat.

Tertio, quia potes etiam mira patrare. Nonne mirum est, incedere hominem in luto et non collutulari? Sic hominem versari in mundilaqueis innumeris, et non illaqueari, in facibus non fœdari. Job in terra Hus inter gentes sanctissime habitans, nonne tibi miraculum videtur? Et Dominicus ille (non fundator sed sectator ordinis) obscœnorum ignium domitor, cui dixit dæmon: *Vicisti quia in igne fuisti et non arsisti?* Et senior ille apud Cassianum, qui a plebe Alexandrina exagitatus, et jussus ostendere miraculum aliquod Christi sui, illud solum ostendit, quod eorum injuriis minime moveretur? Quocirca: « Ne quæras, inquit S. Chrysost. hom. XCIII. in Matt. quod miracula facias, aut mortuos suscites, nam si vita nostra talis esset, qualem pos-

tulat evangelium, potius admirarentur gentiles nostros, quam eos qui miracula edunt.»

Quæ cum ita sint, nemo alterius invidet statui, bonis, conditioni, sed suis quisque talentis negotietur quantum potest. *Tu supplex ora* (clerice), *tu protege* (miles), *luque labora* (agricola.)

## CONCIO IV.

QUID DEBEANT PARENTES LIBERIS.

I. Fuga peccati. — II. Norum honestas. — III. Studium litterarum. — IV. Labor et exercitatio. — V. Exempla bona. — VI. Suavitas moderata. — VII. disciplina.

## THEMA.

*Uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum. Matth. XXV.*

Consuetudo, qua parentes hodie varia munuscula liberis suis clanculum imponunt sub nomine S. Nicolai, ab hoc ipso sancto cœpit, qui tribus filiabus, quæ ob egestatem jamjam prostituendæ erant, tantum injectit clam pecuniarum, ut matrimonio jungi possent. Ejusmodi Nicolaus et primus quidem ac maximus dominus, Dominus Deus est; qui vobis, o parentes, plura imposuit munera seu talenta, uni quidem quinque; alii duo; alii unum; totidem videlicet liberos, hi enim sunt dona Dei: unde, Genes. XXXIII. ait Jacob: *Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus; et Gen. IV. Eva: Possedi hominem per Deum.* Scire tamen debetis, hæc talenta vobis ea lege data esse, ut in eis negotiemini et lucrum faciatis, eaque suo tempore restituatis. Et vos igitur parentes, Nicolai esse debetis, liberisque vestris alia dare munuscula, quibus ipsi in virtute crescant, et vos inde lucrum ac laudem reportetis. Sed quænam illa munuscula? Non aleæ et chartæ; non canthari et pocula; non gladii et pugiones quæ non pauci parentes suis insinuant liberis; sed quæ hic potentibus venum exponemus, pro more patriæ nostræ, ut his comparatis liberos suos recreent.

I. Est agnus Dei, id est, antidotum contra peccata, ut ea discant liberi velut pestem fugere. Sic enim et aquila nidum suum lapide ætite contra colubros munit, ut Hieronym. super Isaiam scribit, l. ult. Solent parentes filiis suis res noxias, ut gladios acutos, ignem, equos, etc. terribili schemate depingere, ut eos hæc cavere doceant. Nihil adeo noxium homini, ac peccatum: unde a puero ejus horror imbibendus est, et filiis inculcandus, exemplo Ecclesiastici, cap. XXI. *Fili, inquit, quasi a facie colubri fuge peccata; et si*

*accesseris ad illa, suscipies te. Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta, omnis iniquitas.* Hæc ille. Præstitit hoc Tobias, qui filium suum ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato, Tob. I. Blanca S. Ludovici Francorum regis mater peccati gravitatem ita filio depingebat, ut is mallet lepra infici, quam unico peccato, teste Jonvil. in ejus vita, c. XCIV. Dicebat enim mater: *Malim, o fili, te vita privatum, quam unum lethale peccatum perpetrantem.* Idem, c. III. Sed nimirum solliciti valde sunt parentes, ne inficiantur et moriantur filii, non curant vero, an peccent. Respha uxor Saulis filios suos cruci affixos custodivit, ne aves eos interdiu, aut bestia noctu lacerarent, donec depositi sepulturæ traditi sunt, II. Reg. XXI. ultimam parentes tantum curæ impenderent liberis viventibus, quantum hæc impendit mortuis!

II. Vestis nova et decens, id est, morum honestas. In cujus rei typum Anna Samuelis mater statutis diebus faciebat filio tunicam parvam, et afferebat ei in templum, ubi educabatur; sed eum vestivit multo melius, dum in templo educari fecit. I. Reg. II. Ejusmodi tunicam facient parentes filiis, si optimis eos informabunt moribus. Macrobius primo Saturn. scribit, olim parentes filiis vestem prætextatam facere solitos, et in ea ante pectus, bullam auream cordis figura; quo eos hortarentur, ut corde præstarent, quæ ore et gestu præ se ferrent. Ursa catulos suos, quos informes parit, lambit et lingualingit, donec formam acquirant debitam, oculos, nares, etc. ut refert Plutarch. de amore prolis, et Amb. lib. VI. hexame. c. IV. cur non itidem parentes efforment filios suos optimis doctrinis? *Filii tibi sunt? Erudi illos, et curva a pueritia,* ait Ecclesiasticus, c. VII. Pulchre S. Augustinus, in Psal. L. ait, parentes, concionatores domesticos esse debere; ut ea scilicet domi doceant filios, quæ in templo audierint a concionatore: et S. Chrys. hom. IX. in 1. epist. ad Tim. ait, has esse divitias veras, filiis a parentibus relinquendas. Deducus est parentum, si liberi eorum incedant sordidi, lacerti, nudi; quanto magis si male morati: sed heu quam præpostere agunt parentes? Vestibus quidem ac supra quam decet ornant filios, animis eorum prorsus neglectis. Hos S. Chrysost. hom. VI. in Matth. similes asseritis, qui quamvis morbo conficiantur, cura tamen valetudinis neglecta, aureas sibi vestes contexunt. Conqueruntur sæpe laici, clericos, monachos, moniales non facere officium suum, dare mala exempla, etc. sed quis in causa est? Vos o parentes, qui quos male educastis, nihilominus ad status illos promovistis. Neque enim

habitus clericalis inolita vitia pelleret et dealbare Æthiopem potest. Certo Aristoteles, lib. II. ethic. c. I. ait: « Non parum refert, sed permultum, utrum sic an sic a pueris assuescamus, imo vero totum in eo positum est. » Hæc ille.

III. Liber, id est, studium litterarum, quo filii ad hoc idonei, excolendi sunt. Hoc videntur petere verba illa Christi: *Oportuit ergo te pecuniam meam committere nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.* Mensa nummulariorum, ubi pecunia plures parit pecunias schola litterarum est, ubi docti alios doctrina sua imbuunt, et Christo lucrantur. Servi igitur mali et pigri sunt ejusmodi parentes, qui talenta ista fodiunt in terra, vel abscondunt in sudario, uti Lucas ait; dum optima sæpe ingenia, quæ poterant mittere ad scholas in lucrum animarum, terrenis obruunt negotiis, vel domi suæ, quasi in sudario involutus retinent. Ne fundum suum quis incultum relinquat, cogi a magistratu potest, cum spes est fertilitatis: et filios ergo ad studia idoneos avertere, et ad alia applicare, annon magis in detrimentum communitatis cedit? Sed objiciunt isti, nihil meliores fore filios si studuerint: quibus respondeo, quod Aristippus cuidam similiter percontanti de filio Aristippi respondit, nimirum: *Ut nihil aliud, inquit, certe in theatro non sedebit lapis super lapidem,* Laert. l. II. c. VIII. Ut enim aliis parum prosint, sibi saltem non oberunt facile. Prudens agricola non excindit arbores horti fructiferas ad extruendas ædes, sed tantum silvestres et infructiferas: sic parentes non debent liberos bonæ indolis, et liberalis ingenii applicare ad rusticana et servilia officia: sed ad studia, religionem, etc. ut Deo serviant et reipublicæ prosint. Ideo Deut. XX. præcipit Deus ne arbores pomiferae excinderentur ad extruendas belli machinas, sed ligna tantum non pomifera et agrestia.

IV. Ligo, id est, labor et exercitatio. Munus hoc subministrat Æsopicus ille agricola, qui moriens ut excitaret ad laborem filios, vocatis ad se aiebat: « Amantissimi filii, quo in loco res meæ sint videtis. Feci quod bonum parentem oportuit facere, et quicquid potui mea industria vobis comparari: idque totum in vinea nostra querere ac reperire licebit. » Mortuo igitur patre filii ligoibus armati solum omne evertunt et thesaurum quidem invenerunt nullum, sed terra interim perculta fructum attulit uberem. Certe potentissimi etiam impp. filios suos labori assuescere a puero fecerunt. Severus imperator filios ab urbe abductos in castris militari disciplina assuefecit, apud Maiol. tom. III. can. coll. III. Octavianus imperator suos ad saltum, cursum, mili-

tiam, filias in lanificio, ad colum, acupicturis exerceri fecit, Cic. VI. polit. cap. IV. Ligur filios suos esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando attrivit, id. l. IV. Tusculan. Spartani ablegatos a se pueros, non prius domum redire permittebant, quam parentibus honori, et patriæ utilitati esse possent: apud Gymnosophistas pueri impransi abibant, qui nullum diurnæ operæ fructum afferebant: Ægyptiæ juventuti ex legis sanctione non prius dabatur vesci, quam centum et octoginta stadia (faciunt quatuor milliaria Germanica et medium) percursissent: Lacedæmonii liberis suis escam non concedebant, nisi quam sagitta dejecissent, Textor, in offic. p. II. in præfat. Taceo bruta animalia? Nam et hirundines pullos nidificare docent, Pier. l. XXII. et aquila suos ad prædam tardos rostro percutit et expellit, Anglicus, lib. XII. c. I. Viderint ergo parentes, qui otio perdunt liberos, ex quo fit ut non solum ad omnia munia inepti fiant et paratam multo labore hereditatem brevi abliguriant, tandemque egere incipiant: verum etiam ut vitiis toti absordescant, stantque velut ager hominis pigri, et vinea viti stulti, quam totam repleverunt urticae, Prov. XXIV.

V. Imagines, id est, exempla bona, bonorum, ut ea imitentur, malorum, ut ea fugiant. Ita faciebat Sara, quæ Ismaelem eiecit e domo, quia ut advertit S. Hieronymus, in tradit. Hebr. in Genes. effingendo luteas imagines Isacco scandalum præbebat et occasionem idololatræ, Gen. XXI. Certe Romani mittebant pueros nobiles, de mane ad arcus triumphales suorum majorum, ut eorum armis inspectis ac trophæis accenderentur ad virtutem, ut refert Holcot. in Sap. l. LIV. Similiter S. Ludovicus Franciæ rex, priusquam se ad quietem componeret, vocatis filiis facta dictaque principum proponebat, tam eorum qui laudabilem vitam duxerant, quam qui nefariam, monebatque: *Illorum exempla animis vestris inculcate, ut et meliores evadere et ab omni flagitio abstinere valeatis,* Jonvil. in ejus vita, cap. LXXXVII. Lacedæmonii quandoque seruos suos inebriabant ut vomerent, et vacillarent, saltarent, insanirent coram suis liberis, ut sic fœditate spectaculi absterriti, ebrietatem et similes turpitudines caverent. Refert Matth. Tympius, in spec. princ. signo LIX. Ante omnia autem parentes ipsi bono sint exemplo liberis: et cancer ille Æsopicus non frustra matri dicit: *I præ, sequar.* Certe ordinariæ filii prius noscunt chartas lusorias, quam sacras imagines, jurare, quam orare. Unde hoc nisi a malo exemplo? Plus observant pueri quæ parentes agunt, quam quis existimet. Burdegala certe anno 1528. ex his duo, sexennis et septennis